

COMMENTATIONIS
DE
L. ATTII VITA ET SCRIPTIS
PARTICULA.

QUAM
UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS
AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
IN ACADEMIA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
DIE XI. M. APRIL. A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUPLICE DEFENDET

CAROLUS STAHLBERG
GUESTPHALUS.



ADVERSARII ERUNT:
G. LOMNITZER, PHILOL. CAND.
G. OSTERWALD, PHILOL. CAND.
TH. ARNOLD, SEM. REG. PHIL. SOD.

HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSUM HEYNEMANNI.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, MERITISSIMO

VIRO DOCTISSIMO

FRID. TH. SCHOENE

DOCTORI PHILOPHIAE,

DIRECTORI GYMNASII HERFORDIENSIS.

TENUE HOC STUDIORUM SPECIMEN

PIO GRATOQUE ANIMO

INSCRIPSIT

AUCTOR.

Cap. I.

De L. Attii vita.

L. Attius *) natus est anno Urbis conditae quingentesimo octogesimo quarto, ante Christum natum centesimo septuagesimo. Hieronymus enim in Euseb. Chron. ad annum Ol. 160, 2. haec habet „Lucius Attius tragoediarum scriptor clarus habetur, natus Serrano et Mancino Css., parentibus libertinis" A. autem Attilius Serranus et A. Hostilius Mancinus consules erant a. 584. U. c. De Attii parentibus et patria nihil certi scimus; libertinos ei fuisse parentes solus Hieronymus tradit. Romae eum natum esse inde suspicari licet, quod nemo eum aliunde urbem petiisse refert; cum certum vero huius rei testimonium non habeamus, nolo cum Schoellio Hist. de la litt. Rom. I. p. 116. hoc pro certo venditare. Quinquaginta annis

---

*) Poetae nomen Attius, non Actius vel Accius scribendum esse satis docuerunt Mar. Victorin. de orthogr. p. 2457. P., Ald. Manutius de orthogr. p. 15., Torrent. in Suet. Aug. Cap. 4., Muret Varr. Lectt. 18, 9., Osann Anal. crit. p. 60., Weichert. de L. Vario et Cassio Parmensi p. 9. Not. 7., Beier in Cic. Off. 3, 31, 84., Eckstein in Tacit. Dial. de causs. cor. eloq. C. 20., Drak. in Liv. 1, 36. Giese in Cic. de Div. 1, 22, 43. cf. Baehrii Hist. litt. Rom. p. 80. Not. 2 Ed. sec., Schneideri Gr. Lat. I., p. 241., II., p. 444.

minorem Pacuvio fuisse testis est Cicero in Bruto C. 64, 229. *). Quibus magistris sit usus, plane ignoramus; sed familiariter utebatur D. Junio Bruto **), qui consul cum P. Scipione Nasica a. 616. U. c. (Cic. l. c. 22, 85) propter res prospere in Hispania ulteriore adversus Gallaecos gestas Gallaeci cognomen accepit; cfr. Liv. Epit. lib. 55. et 56. Ex hujus aliorumque virorum nobilium consuetudine multos fructus ad Attium redundasse credibile est ***).

Quod ad reliquam Attii vitam attinet, eum etiam a. 651. U. c. inter vivos fuisse pro certo affirmari potest. Testis enim est Cicero in Philipp. I, 15, 36. „quid? Apollinarium ludorum plausus vel testimonia potius et iudicia populi Romani vobis parva videbantur? O beatos illos, qui cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen et in medullis populi Romani ac visceribus haerebant, nisi forte Attio tum plaudi et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui ludis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore lenierit.“ Cfr. ibid. II, 13, 31. Namque cum his verbis Attii fabula, quae post Caesarem interfectum h. e. a. 710. U. c. docebatur, in scenam reducta dicatur „sexagesimo post anno,“ manifestum est Attium a. 651. U. c. etiam fabulam docuis-

*) Cicero l. l. „quamquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paullo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Attius iisdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.“

**) Cfr. Cic. pro Archia C. 11. Brut. 28, 107, de Legg. 2, 21, 54. Scholiastam Bobiensem, qui ad Orat. pro Arch. l. l. varias res confundit, emendavit Orellius in Onom. Tull. II. s. v. D. Brutus. Cfr. Val. Max. 8, 15, 2.

***) Dignus, qui hac de re legatur, est Bernhardyus Hist. litt. Rom. p. 20.

se *). Neque vero illud tantum certum est, Attium a. 651. iis ingenii viribus fuisse, ut fabulam daret, sed etiam non improbabiliter coniicere licet eum ad summam pervenisse senectutem. Cicero enim in Bruto. C. 28, 107. se cum L. Attio, D. Bruti familiari, colloqui solitum esse tradit. Hunc fac duntaxat, cum vicesimum annum ageret, cum Attio poeta de litteris Graecis et Latinis sermones factitasse (cfr. Welckerus in Mus. Rh. Supplem. II., Pars. 3, p. 1396. Not. 7.), quoniam eum a. 648. U. c. natum esse constat, Attius necesse est certe usque ad annum 668. vel 670. U. c. vitam egerit.

Ea veterum de Attio testimonia etsi ita sunt comparata, quibus fidem non facile deneges, haud defuerunt tamen, qui omnem poetae huius historiam misere turbarent. In eam enim opinionem discesserunt, ut duos fuisse Attios poetas sibi persuaderent, quasi vero antiquorum scriptorum testimonia, si ad unum eundemque poetam referantur, non solum non congruant, sed etiam prorsus sibi repugnent. Id duobus locis student probare, Hieronymi in Euseb. Chron. l. l. et Valerii Maximi 3. 7. 11., quorum ille haec scripsit „a quo et fundus Accianus iuxta Pisaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex urbe dedu-

*) Quae fabula fuerit, quam sexagesimo anno ante Caesaris mortem poeta dederit, interpretes non recte perspexerunt. Plerique enim Attii Brutum actam esse putant, quae quidem fabula praetextata Bruti illius, qui reges exegerit, laudes persecuta sit; atque haec sane et aptissima erat ad Brutum, Caesaris interfectorem, concelebrandum, eandemque ipse Brutus absens actam esse opinatus est. Cic. ad Att. 16, 5, 1. „tuas iam litteras Brutus exspectabat, cui quidem ego non novum attuleram de Tereo Attii; ille Brutum putabat.“ Nihilominus Tereum fabulam illo anno in scena spectatam esse, Cicero et loco cit. testatur, et iterum ad Att. 16, 2, 3. scripsit „Bruto tuae litterae gratae erant. Fui enim apud illum multas horas in Neside, cum paullo ante tuas litteras accepissem. Delectari mihi Tereo videbatur, et habere maiorem Attio quam Antonio gratiam. Mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi et molestiae est, populum Romanum manus suas non in defendenda republica, sed in plaudendo consumere.“ Cfr. Clinton F. H. a. 651. Vol. III., p. 135.

ctus." Iam vero cum a. 570. U. c. duas colonias, Pisaurum in Gallicum agrum, Potentiam in Picenum deductas esse constet ex Vell. Paterc. 1, 15. et Liv. 39, 44., difficile est intelligere, quomodo inter eos colonos Attius esse potuerit, quem Hieronymus eodem loco a. 584. h. e. quartodecimo anno post coloniam deductam natum esse narrat. Perspexit id iam Scaliger. annot. in Hieronymi locum; memoria autem lapsus est, quod coloniam a. 568. Pisaurum deductam esse dicit. Vehementius etiam erravit Bothius (Poett. scenn. Latt. V., p. 156. Not.), qui colonos Pisaurum a. 563. U. c. sive 191. a. Chr. missos esse contendit. Etenim ex Velleio constat, quadriennio post Bononiam Pisaurum coloniam deductam esse, h. e. a. 570. U. c. sive 184. a. Chr. Idem vero Bothius ut contra rei fidem Attii natales anno 582. U. c. 172. a. Chr. adscripsit, ita falsum est, quod poetam eum post coloniam deductam undeviginti annos natum esse statuit.

Iure igitur ea Hieronymi verba in L. Attium, quem ille a. 584. natum esse narret, convenire negarunt. Cum vero Cicero se cum L. Attio poeta saepius collocutum esse tradat, id autem in L. Attium, qui inter colonos a. 570. Pisaurum deductus sit, cadere non possit: primus inde, quod sciam, Lil. Gyraldus Dialog. VIII. Opp. ed. Iensius p. 420. duos vixisse L. Attios poetas effecit, alterum maiorem, qui colonis illis interfuerit, minorem alterum, qui D. Bruti familiaris Ciceronis tempore floruerit. At vero si duo fuissent Attii poetae, antiqui scriptores utrumque certo quodam additamento vel cognomine distinxissent. Atqui veteres ad unum omnes in simplici L. Attii poetae appellatione consentiunt. Neque magis audiendi sunt Forcellini Lex. Lat. s. v. et Koepkeus Prolegg. in Plauti vers. Germ. p. LVI., qui duos poetas ita discernendos putarunt, ut L. Attium maiorem

natu, qui quidem colonis Pisaurensibus interfuisset, comicum, minorem, illius filium, natum Mancino et Serrano Css., quem Cicero iuvenis vidisset, poetam tragicum fuisse dicerent. At vero de L. Attio poeta comico apud Latinos scriptores altissimium silentium. Nihilominus Attium comicum fuisse statuere deberemus, si ab Attio comoedias esse scriptas constaret; namque etsi apud priores Romanorum scenicos poetas usu venisse repperimus, quod Socrates in Plat. Symp. extr. dicit „τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι, κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν, καὶ τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα κωμῳδοποιὸν εἶναι.," Attius tamen, summus veteris Romanae tragoediae poeta, priorum tragicorum morem reliquit utrumque rei scenicae genus simul colentium, et primus soli tragicae arti operam navabat *). Verum enim vero quae adscribuntur Attio comoediae, sunt aut M. Attii Plauti aut T. Quinctii Attae, atque inde tantum, quod L. Attius confusus est cum Plauto, qui saepius solo nomine gentilicio dicitur Attius, aut cum Atta, togatarum fabularum poeta, error manavit L. Attium etiam comoedias docuisse dicentium. Verum ut duos Attios nonnulli statuerent, factum est, ni fallor, ex solis Hieronymi verbis perperam intellectis. Hieronymus enim in Euseb. Chron. Ol. 156, 3. (600 U. c.) Nr. Euseb. 1864. „Pacuvius, inquit, Brundusinus, tragoediarum scriptor, clarus habetur, vixitque Romae quoad picturam exercuit ac

---

*) Digna sunt, quae adscribantur, verba Welckeri l. l. p. 1343. „Wie bei den Römern der Styl der Tragödie sich von Euripides stufenweise zu Sophocles und Aeschylus erhebt, wurden bei ihnen auch von Anfang an Tragödien und Komödien von denselben Dichtern geschrieben, bis Attius, der letzte und erhabenste der älteren Schule eine Ausnahme machte; doch sind auch schon von Pacuvius nur eine Komödie und wenige komische Fragmente bekannt." Post Pacuvium nullus omnino Romanorum poeta tragoedias idemque comoedias scripsit. Attilius enim, poeta et comicus et tragicus, aut ipsa Attii aetate floruit, aut quod credere malim, Pacuvii aequalis fuit; cfr. infra p. 28. Not. *. Ab Attio nullas prorsus comoedias esse conscriptas, infra p. 14. accuratius exponemus.

fabulas vendidit. Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius obiit." His ex verbis collegisse videntur, Pacuvium a. 600. U. c. mortuum esse, Attium vero, quem quinquaginta annis minorem fuisse Cicero testatur, a. 650. U. c. Verum in eo Hieronymi loco verba quidem „Pacuvius Brundusinus, tragoediarum scriptor, clarus habetur, vixitque Romae quoad picturam exercuit ac fabulas vendidit" aperte ad praefixum annum 600. U. c. spectant, neque vero quae sequuntur „deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius obiit." Id non tam ex verbo „deinde" quam ex totius sententiae conformatione facile perspicitur. Dicit enim Hieronymus a. 600. U. c. Pacuvium Romae floruisse, postea vero, h. e. aetate iam provectiorem, cum neque fabulis componendis neque picturae exercendae operam daret, Tarentum petiisse. Idem nobis tradit Gellius Noctt. Att. 13, 2. „cum Pacuvius . . . . . grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectus Tarentum ex urbe Roma concessiset." Eam in sententiam, ut Pacuvii mortem a. 600. accidisse putarent, nunquam abiissent, si de Hieronymi verbis paullo consideratius secum reputassent. Omnem vero dubitationem non potuissent quin seponerent, si Ciceroniani loci de amicit 7, 24. meminissent, ubi Laelius „qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula." Nam cum hic de amicitia sermo paucis diebus post Africani mortem (vid. Cap. 1, 3.) habitus fingatur, et Scipionem Africanum minorem Man. Aquilio C. Sempronio Css. a. 625. U. c. obiisse constet, Pacuvium statuamus necesse est aut eo etiam anno inter vivos fuisse aut paullo ante e vita decessisse. Quibuscum si contendis Hieronymi verba „prope nonagenarius obiit" et Gellii, quem supra attulimus, locum, facile tibi persuadebis, Pacuvium circiter annum 624. vel 625. mortuum esse, pro certo vero habebis, vitam suam eum, ut minimum dicam, usque ad annum 620. U. c. traxisse,

praesertim cum ex Cic. Brut. 64. constet eum etiam octogenarium fabulam docuisse; cfr. Welckerus l. l. p. 1383.

Quodsi iam ex veterum testimoniis apparet Pacuvium a. 600. mortuum non esse, omnia quae nobis de illo Attioque tradita sunt, praeclare inter se cohaerent. Nam cum Attius, ut testis est Hieronymus, a. 584. natus quinquaginta annis minor fuerit Pacuvio, huius necesse est natales in annum 534 U. c. inciderint idemque prope nonagenarius circiter a. 620. U. obierit. Postquam sic Hieronymi verba, quibus Attium inter colonos Pisaurenses fuisse narrat, in Attium, poetam tragicum, convenire non posse demonstravimus, iam duplicem illius verba explicandi rationem nobis repperisse videmur. Fortasse enim Hieronymus T. Attium Pisaurensem equitem Romanum, qui causam Oppianici filii egit contra Cluentium, quem Cicero praetor a. 668. U. oratione defendit, quae aetatem tulit, L. Attii poetae filium putavit esse, (id quod aliis quoque accidisse Meyerus in Cic. Brut. 78, 271. probat), atque inde conclusit L. Attium inter colonos Pisaurum deductum esse. Aut si cui illa minus placent, Pisaurum fortasse iterum missi sunt coloni, quibus Attius interfuerit. Nam etiamsi ex Cic. Philipp. 2, 40. certum est, in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, novam coloniam iure deduci Romanis non licuisse, nihil tamen obstabat quominus coloniae novi adscriberentur coloni; cfr. Cic. de leg. agrar. 2, 13., ibid. 28., Liv. 4, 30; 31, 49.; 37, 46. Drakenb. in Liv. Epitom. libr. 4. et in 6, 30., Nieb. Hist. Rom. II, 53 sqq. Quodsi ne id quidem probatur, nihil reliquum est, quam ut aut Hieronymum falsum aut Hieronymi verba labem contraxisse statuas. Quidquid est, colonis, qui a. 570. Pisaurum missi sunt, nullo modo Attius poeta interfuit.

Ne quid tamen reticuisse videar, fatendum est non deesse veterum locos, quibus eo adducare, ut

Attii vitam paullo inferiori aetati adscribendam esse credas. Primum enim Gellius 17, 21. auctor est, floruisse non magno intervallo post acceptam a Graecis philosophiam Ennium et iuxta Caecilium et Terentium ac subinde et Pacuvium et Pacuvio iam sene Attium *). Quo loco quam vehementer erraverit Gellius, cum iam interpretes intellexerint, ne in eo quidem offendimur, quod Pacuvium et Attium post Caecilium et Terentium commemorat. Nam Terentius etiamsi circiter a. 560. U. natus est et Andriam primam fabulam a. 588. id est eo tempore docuit, quo Pacuvius annum agebat quinquagesimum quartum: cum tamen nondum quintum atque trigesimum annum (Suet. vit. Ter. 4.) egressus Cn. Dolabella M. Fulvio Css. a. 595. U. decesserit (Suet. l. l. 5. et Hieronym. in Euseb. Chron. Nr. 1858.), quodammodo antiquior est Pacuvio, quippe qui propter summam, ad quam pervenit, aetatem etiam viginti fere annos post mortuum Terentium arte scenica multum valuerit. Itaque non est quod aut Pacuvium natu minorem atque adeo post Terentium natum esse dicamus, aut Attii vitam recentiori tempori assignemus. Huic rei magnam lucem afferunt, quae Cicero scripsit in Bruto C. 64. „ut Attius iisdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, cum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset: sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum aetate et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur.“ His adde quae Aper disputavit in Dialogo de Orator. C. 17.

*) Gellius l. l. „iisdem temporibus Diogenes Stoicus et Carneades Academicus et Critolaus Peripateticus ab Atheniensibus ad senatum populi Romani negotii publici gratia legati sunt. Neque maguo intervallo postea Q. Ennius et iuxta Caecilius et Terentius, ac subinde et Pacuvius et Pacuvio iam sene Attius, clariorque tunc in poematibus eorum obtrectandis Lucilius fuit.“ Legati illi missi sunt a. 599. U. cfr. Cic. Acad. 2, 45. Gellium sequitur A. G. Schlegelius de art. dramat. II., p. 16.

Quae cum ita sint, altero quoque, quo ad sententiam stabiliendam utuntur, loco quidquam negamus probari. Provocant enim ad Val. Max. 3, 7, 11., qui Attium poetam cum Iulio Caesare poetarum collegium frequentasse tradit *). Ea Lil. Gyraldus l. l. ad Iulium Caesarem clarum illum dictatorem, qui interfectus est a. 710. U. c., refert, neque aliter iudicat Bothius l. l. p. 157., qui Attium negat mortuum esse ante a. 675. U., quo quidem anno et Sulla obierit et Caesar in civitate magnus haberi coeperit. Erravit autem et Gyraldus et Bothius, quorum nollem sententiam amplexus esset Weichertus (Poett. Latt. reliqq. p. 13. Not. 17.), vir in eiusmodi rebus alioquin cautissimus. Caesar enim dictator, quo anno Sulla mortuus est, annos habuit viginti unum, quo tempore nondum ea erat auctoritate atque gloria, qui amplissimus et florentissimus vir a Valerio posset appellari. Quin persuasissimum mihi est de Caesare dictatore verba ea non ante annum 694. U. c., id est non ante id tempus praedicari potuisse, quo societate cum Pompeio et Crasso inita primum magnitudinis fundamentum iecit. Quibus concessis non poteris quin Valerii locum de alio quodam Caesare intelligas. Neque vero id solum est, quo offendimur in Valerii loco, sed illud etiam magnam nobis dubitationem affert, quod iam Attii tempore poetarum collegium exstitisse traditur. Etiamsi enim ex Suetonio de illustr. gramm. Cap. 1. compertum habemus antiquissimos poetas, Livium et Ennium, si quid Latine composuissent, praelegisse, nihil tamen quidquam de poetarum, qui tum erant, collegio com-

*) Valer. Max. l. l. „Magno spatio divisus est a senatu ad poetam Accium transitus. Ceterum ut ab eo decentius ad externa transeamus, producatur in medium. Is Iulio Caesari, amplissimo et florentissimo viro, in collegium poetarum venienti nunquam assurrexit: non maiestatis eius immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentiae crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.“

memoratum legimus; cfr. Bernhardyi Hist. litt. Rom. p. 29. Denique in communium studiorum contentione nemini poterat dubium esse, utrum Attius an Caesar prior iudicandus esset. Neque omnino Caesar dictator, quem unus Suetonius (vit. Caes. 56.) Oedipum tragoediam scripsisse testatur, quam hic iis, quae ille puer et adolescentulus composuerit, adcenset, de tragici carminis palma certare cum Attio poterat, quo quidem nemo poetarum hoc in carminum genere apud Romanos erat illustrior.

Itaque alium quendam Julium Caesarem respexisse Valerium in promptu est. Atque iam Langeus Vind. trag. Rom. p. 7, Ellendtius Prolegg. in Cic. Brut. p. 81. Meyerus in Cic. Brut. 48, 177, p. 153, Welckerus l. l, p. 1358. perspexerunt Valerii verba in C. Julium Caesarem Strabonem optime convenire, qui aedilis curulis a. 664. U. non solum vir magnae in civitate auctoritatis fuerit, sed etiam inter primos aetatis suae oratores et praestans tragicus poeta habitus sit *). Quae si accura-

*) C. Julius Caesar Strabo Vopiscus, qui etiam Sesquiculus dictus est (Mar. Victor. de orthogr. p. 2456 P.), filius fuit Popiliae, frater autem uterinus Q. Lutatii Catuli maioris. Aedilis curulis fuit a. 664. U. (Cic. Brut. 89, 305.), quo anno Lucius frater consulatum gessit. Cum autem omissa praetura contra legem Villiam annalem (Liv. 40, 44.) a. 666. consulatum ambiret, P. Antistius et P. Sulpicius Rufus ei restiterunt (Cic. de harusp. resp. 20, 43.; Brut. 63, 226.). Ea res cum esset multis utrimque concionibus agitata, Caesar repulsam quidem tulit, haec autem cum Sulpicio potissimum contentio belli civilis caussa incendiumque exstitit. (Ascon. in Scaur. p. 24. Orell.; Vell. Pater. 2, 18.). Anno sequenti, quo Marius et Cinna permultos, qui Sullae favebant, proscripserunt, occisus est (Cic. Brut. 89, 307.), eiusque caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum Lucii fratris in rostris iacuit (Cic. de Orat. 3, 3, 10., Tuscul. 5, 19, 55., pro Scaur. 2, 2. cfr. Vell. Pater. 2, 9.). Cicero eum multis locis facetiarum et leporis suavissimi nomine magnis laudibus exornat, ex quibus adscribere iuvat ea, quae leguntur in Brut. 48, 177. „festivitate et facetiis et aequalibus suis omnibus praestitit, oratorque fuit minime quidem ille vehemens, sed nemo unquam urbanitate neque suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus sicut ex eiusdem tragoediis lenitas eius sine nervis perspici potest.“ cfr. de Off. 1, 17, 133., de Orat. 2, 23, 98. In libris de oratore Cicero ei tribuit magistri partes ioci et facetia-

tius tecum reputaveris, Valerii locum, de quo diximus, in hunc Caesarem Strabonem concedes inprimis conve-

rum. cfr. 2, 54, 216 sqq., 2, 3, 12 sqq. Orationum, quas habuit, pauca hodie supersunt fragmenta. cfr. Oratt. Rom. fragg. edid. Meyerus. p. 160. Eidem adscribendae sunt tragoediae, quae Iulii nomine commemorantur; vid. Ascon. in Scaur. p. 24. Orell. Iulii Adrastum excitat Festus p. 201. Lind., Tecmessam Mar. Victorin. p. 2456 P. In Macrob. Sat. 6, 4. exstat Teuthrantis fabulae fragmentum (Theutrantem, ut alii malunt, falsam esse scripturam docuit Lobeckius In Soph. Ajac. 210, p. 159. Ed. sec.), Ilio poetae aliunde prorsus ignoto adiudicatum. Ei loco Iulii nomen reddendum esse iam Delrio intellexit, ut ex Scriverio cognoscere licet. Erravit autem vehementer vir doctissimus, quod ex verbis Asconii „tantum in civitate polluit, ut caussa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fieret. . . . . . Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est“ Sulpicium tragicum poetam fecit, qui tragoedias suas Iulii nomine inscripserit. Hinc fortasse ortus est Kordesii error, qui in Additam. ad Eberhardtl libellum „über den Zustand der schönen Wissenschaften zu Rom“ p. 55 et 56. perhibet, Sulpicium scripsisse Iulios fabulam praetextatam; vid Langeum I. l. p. 14. Not. 18. Scriverius et, qui eum sequitur, Bothius (Poett. scenn. Latt. V., p. 255.) C. Iulio quidem adscribunt Teuthrantem fabulam, hunc vero Iulium distinguunt a C. Iulio Caesare Strabone, cuius sit Adrastus tragoedia et Tecmessa. Sed quemadmodum Delrio, Asconii verbis perperam intellectis, voce „idem“ potissimum deceptus, in errorem adductus est, ita Scriverius et Bothius, quod C. Iulium et C. Iulium Caesarem Strabonem discernendos esse contendunt, haud providissimos se praestiterunt, cum Asconius aperte et perspicue dicat, Caesari Straboni adiudicandas esse tragoedias, quae Iulii nomine inscriptae sint. Recte igitur Langeus l. l. p. 10. tres illas fabulas uni vindicavit Caesari Straboni, eademque est sententia Weicherti l. l. p. 127. Not. Osanni autem opinionem, qui in commentatione de Soph. Aiac. p. 73. Teuthrantem fabulam Livio tribuit, Duentzerus (de vita et scriptis Livii Andronici p. 84.) defendit levibus ille argumentis usus, quod scilicet Macrobius capite sequenti alium locum e Livii tragoedia afferat, et Graeca vox aethra praeter Virgilium, veterum imitatorem, alii poetae praeter Ennium et Livium vix conveniat. — Hic Caesar Strabo quid in tragoediis conscribendis praestiterit, ex paucis, quae aetatem tulerunt, fragmentis non perspicitur; verisimile autem est eundem in tragoediis se praebuisse omnis leporis atque festivitatis amatorem, qualem in orationibus. Cic. Orat. 3, 8, 30. „quid noster hic Caesar? nonne novam quandam rationem attulit orationis et dicendi genus induxit prope singulare? Quis unquam res, praeter hunc, tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit, atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur nec gravitas facetiis minueretur.“ — Schoellio (Hist. de la litt. Rom. 1, p. 117. Not.) non ambiguum videtur, quin Valerii verba de Caesare dictatore non sint intel-

nire. Neque enim est quod miremur, aut florentissimum et amplissimum nominari, qui summa cum laude in republica versatus esse tradatur, aut Attium, cum tali viro nunquam surrexisse dicatur, ab Valerio tamen non insolentiae ac superbiae crimine argui, sed summa laude dignum censeri.

Certum igitur est, L. Attium poetam usque ad annum circiter 670. U. vixisse. Ipsum mortis annum nescimus; verum cum eo tempore iam annum ageret octogesimum sextum, credibile est eum non multo post obiisse.

---

ligenda, de quonam autem Caesare, utrum de Sexto, consule a. 597., an de Lucio, cousule a. 664., an de eius fratre, Caesare Strabone intelligenda siut, ambiguum videtur. Verum cum Valerius plane de Iulio Caesare poeta, eoque haud spernendo locutus sit, de Sexti vero et Lucii Caesaris carminibus nihil quidquam compertum habeamus, manifestum est de Caesare Strabonc cogitandum esse. cfr. Madvigii Opp. acadd. 1, p. 90. et Welckeri librum l. p. 1398.

Caput II.

De L. Attii scriptis.

Inter antiquiores Romanorum poetas Attius ita praestabat ingenii ubertate et felicitate, ut praeter Naevium Enniumque nemo esset, qui cum ipso posset componi. Praeterquam enim quod per multas docuit tragoedias, conscripsit etiam dactylicis numeris Annalium nescio quot libros, quorum quod Festus s. v. Metelli p. 169. Lind. excitat librum vicesimum septimum, in numero erratum esse Madvigius Opp. acadd. I, p. 110 iudicat; fragmenta, quae apud Festum, Nonium, Macrobium, Priscianum exstant, collegerunt Vossius de Hist. Lat. 1, 7, Krauseus Fragm. Histt. Latt. p. 176 sqq. Ad eruditionis studia, quibus Attius gnaviter deditus fuisse videtur, pertinent Didascalicon, Pragmaticon, Parergon libri (videsis Osannum Anal. crit. Cap. IV et Madvigium de L. Attii Didascalicis Opp. acadd. I, p. 87—111); horum Didascalica pedestri oratione erant conscripta, Pragmatica vero et Parerga trochaicos numeros habuisse verisimile est; cf. God. Hermanni comment. de L. Attii Didascalicis Lips. 1842. Attii Sotadica, quorum unum solum fragmentum servatum est a Gellio 7, 9 et Prisciano 10, p. 890 P. Vol. I, p. 491. Kr., quae qualiaque fuerint ignoramus. Minus recte autem inter huius poetae scripta recensetur carmen Priami. Nam

unum illud fragmentum, quod apud Varronem L. L. p. 86 Bip., p. 130 M. legitur, tum Saturniis versibus conscriptum est, quibus numeris Attium usum esse contra Hermannum Elem. D. M. p. 639. negamus, tum Muellerus in Varron. l. l. „Attio non nisi ex fide interpolatorum tribui" docuit, eiusque nomen, quia a Codd. absit, delevit.

Verum de reliquis Attii libris alias accuratius perscribam. Nunc enim in sola scenica poesi me continebo et quid in ea praestiterit exponam. Attium igitur cum fuerint, qui praeter tragoedias etiam comoedias docuisse statuerent, id erit primum omnium explanandum, ut quid de Attii comoediis iudicandum sit appareat. Namque nos quidem Attii scenicam poesin in tragoediis tantum spectatam esse eumque primum fuisse apud Romanos poetam scenicum, qui nullas prorsus comoedias docuerit, iam supra p. 5 diximus. Ea vero sententia primum eo comprobatur, quod apud antiquos scriptores nulla fit L. Attii poetae comici mentio, sed ubicunque ille commemoratur, eius sola tragica virtus laudatur. Dein duo, qui apud grammaticos exstant loci, quibus eorum sententia, qui Attium comoedias quoque composuisse censent, adiuvari videtur, nihili faciendi sunt. Euanthius enim *) sane haec scripsit „haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto et ab Afranio et Accio et multis fere magnis comicis invenimus." . Eo autem loco aut Attii nomen corruptum est eiusque loco reponendum vel „Atta"

*) De fabula p. XXVIII ante Terent. com. edid. Zeunius. Huius libelli, vulgo „de tragoedia et comoedia" inscripti, nomen fuisse „de fabula" apparet ex Rufino de metr. p. 2705. P. cf. G. A. Wolfius de canticis in Rom. fab. p. 15. et Schopenus in Mus. Rhen. I, p. 151.

cum Neukirchio (Vita Quinctii Attae, de fabul. togat. p. 155), vel „Attilio" cum Welckero l. l. p. 1396. Not. 7., vel rescribendum „et ab Accio Plauto et ab Afranio et multis fere", aut Euanthius hariolatus esse videtur. — Similiter iudicandum videtur de altero loco, qui apud Isidorum (Origg. VIII, 7, 7. p. 275. Lind.) exstat „duo sunt autem genera comicorum, id est, veteres et novi. Veteres, qui et ioco ridiculares existunt, ut Plautus, Actius, Terentius. Novi, qui et Satirici, a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Iuvenalis." Ad Graecorum igitur exemplum grammaticus ille Romanam comoediam dividit in duas partes atque inter veteris comoediae poetas Plautum, Attium, Terentium recenset, novae adscribit poetas satiricos, Horatium, Persium, Iuvenalem; simili ratione veterem Graecorum comoediam iam Diomedes III, p. 482 P. cum Romana Satira comparavit. Attius autem si non tantum comicus dici posset, sed etiam comica arte tantopere polluisset, ut cum Plauto Terentioque posset componi, id profecto non solum apud antiquos scriptores traditum haberemus, sed etiam eius comoediarum aliquot vestigia hodie exstarent. Itaque Isidori verba sine dubio corrupta sunt, atque in iis pro Attio aut restituendum „Attae" nomen, aut verbis transpositis rescribendum „Attius Plautus, Terentius." Huic suspicioni magna inde accedit probabilitas, tum quod quae a nonnullis excitantur Attii comoediae aut Attii Plauti aut Attae sunt, tum quod quos grammaticus ille novae comoediae poetas nominat, Horatium, Persium, Iuvenalem, ita commemorat, ut temporis rationem habuisse videatur, unde verisimile est veteris quoque comoediae scriptores eum ad temporis ordinem percensuisse.

Istis grammaticorum testimoniis sic reiectis videamus reliqua. In fragmentis enim vett. poett. Latt. ab

H. Stephano collectis Attio tribuuntur quattuor comoediae: Aedilicia, Conciliatrix, Demetrius, Putatores. Earum Aedilicia et Conciliatrix sunt togatae fabulae, ab Atta conscriptae; cf. Neukirchius de fabul. togat. p. 156 sqq., Bothius l. l. fragmm. comicc. p. 99. Demetrium comoediam fabricati sunt ex Nonii loco s. v. aptam p. 234 M., ubi in Codd. sic legitur: „Accius: De mer hinc colomenale geminis aptum cornibus." Locum corruptissimum multi sanare studuerunt; plerique ediderunt: Accius Demetrio. Delrio quoque Attio adscripsit Demetrium comoediam; vid. Bothium. l. l. fragmm. tragicc. p. 196. Mihi quidem in Nonio legendum videtur „Attius Diomede", quae tragoedia saepius commemoratur. — Falso praeterea Attio dederunt Putatores comoediam; apud Nonium enim s. v. latibulet p. 133. M. exstat: „Publili liputatoribus", unde alii fecerunt „Turpilius putatoribus", approbatum Mercero in Non. p. 683, alii „Accius Putatoribus." Mihi Turpilii nomen restituendum esse videtur, nisi cum Bothio l. l. p. 275 legi malis: „Publi Putatoribus", ita ut hoc fragmentum Publio Syro tribuatur. Cf. eundem l. l. p. 240. — Erravit porro Vossius, qui in Poet. Lat. I, p. 232. Opp. Vol. III. Attium perhibet scripsisse Nuptias et Mercatorem comoedias. Quod cum ex Varrone constare dicat, equidem quem Varronis locum intellexerit, non assequor; immo si quid video, Attium cum Plauto confudit, cuius Mercator fabula aetatem tulit. Eodem cum Plauto Attium commutarunt, qui hunc Amphritrasontem composuisse affirmant; cf. Columna in Ennii fragm. p. 293 Hess., Bothius l. l. p. 168, Osannus in Zimmermanni Diario a. 1836. p. 988 sqq.

In tragoedia autem Attium magnam apud Romanos artis consecutam esse famam, cum veterum, quae de eo exstant, testimonia probant, tum ipsius

reliquiae nos docent *). Itaque ut rem ordine persequar, primum infra ponam hic indicem earum fabularum, quae recte ad Attium referri videntur. Sunt autem hae: Achilles, Aegistheus, Agamemnonidae, Alcestis, Alcmaeon, Alphesiboea, Amphitruo Andromeda, Antenoridae, Antigona, Argonautae, Armorum iudicium, Astyanax, Athamas, Atreus, Bacchae, Chrysippus, Clytaemnestra, Deiphobus, Diomedes, Epigoni, Epinausimache, Erigona, Eriphyla, Eurysaces, Hecuba, Hellenes, Io, Medea, Melanippa, Meleager, Myrmidones, Neoptolemus, Nyctegresia, Oenomaus, Pelopidae, Persidae (?), Philoctetes, Phinidae, Phoenissae, Prometheus, Stasiastae vel Tropaeum Liberi (?), Telephus, Tereus, Thebais, Troades. — Eas fabulas ex Graeco transtulit. Non solum autem crepidatam, sed etiam praetextatam tragoediam tractasse Attium duarum fabularum nominibus probatur; scripsit enim Aeneadas sive Decium et Brutum fabulas, alteram ad Decium filium celebrandam, qui pro patriae salute se devovisset, et ad Romanorum fortitudinem patriaeque caritatem illustrandam (cf. Liv. 10, 26 — 30. Kordesius in Eberhardti libr. cit. p. 58., Welckerus l. l. p. 1389.), alteram in laudes Bruti, regum exactoris (cf. Liv. 1, 57; Welckerus l. l. p. 1388.). Utriusque fabulae fragmenta collegit et interpretatus est Neukirchius de fabul. togat. p. 76 — 89. Attii fabulis praetextatis num adcensenda sit Marcellus, affirmare non audeo; eius quidem nominis fabulam apud Romanos exstitisse testis est Diomedes III, p. 487. P. „in praetextata ...... scribitur Brutus vel Decius vel Marcellus“: sed cum neque veterum quisquam Attii Marcellum commemorarit, neque ullum huius tragoediae supersit fragmen-

*) Horat. Epist. 2, 1, 55; Ovid. Amor. 1, 15; Vellej. Paterc. 1, 18; Quinctil. 10, 1, 97; Gell. 13. 2. Cf. Weicherius l. l. p. 13, Not. 7. et Welckerus l. l. p. 1392 sqq.

tum, certi nihil statui potest; fabula autem illa sine dubio versabatur in M. Claudii Marcelli rebus, qui quintum consul Hannibali apud Nolam fortiter restitit, postea vero Carthaginiensium insidiis circumventus, filio omisso, occisus est (cf. Liv. 27, 26. sqq., Kordesius l. l. p. 66., Neukirchius l. l. p. 95., Welckerus l. l. p. 1345.). De verbis Rhabani Mauri, qui in Art. gram. II. Opp. Vol. I, p. 47. Colon. scripsit „in tragoedia heroes introducuntur, ... in praetextata autem .... Brutus vel Decius, item Marcellus vel Africanus", non habeo quod addam Neukirchii verbis (l. l. p. 95.) „fortasse Rhabano tantum apta videbatur praetextatae persona Africani (Scipionis Africani maioris), fortasse etiam hoc scripsit, Ennii Scipionem perperam pro fabula scenica habens." Cf. Welckerus l. l. p. 1346, Not. 20.

His praemissis ad recensendas eas fabulas transgrediamur, quas Attio abiudicandas esse censemus. Dicamus igitur primo loco de Andromacha, quam fabulam Attii non esse inde apparet, quod quae verba Nonius s. v. longinque p. 515. M. ex Attii Andromacha affert, eadem s. v. summum p. 402. M. Ennii cognomini fabulae adscripsit. Itaque cum Attii Andromacha nullo alio ex loco nobis enotuerit, Ennii autem fabula saepius commemoretur, Mercerus in Non. p. 773. in priore Nonii loco pro Attio recte Ennii nomen restituendum contendit, adstipulantibus Scriverio et Vossio; cf. Columna in Ennii fragm. p. 241. Hess. Quapropter errarunt, qui in Festi loco s. v. summussi p. 241. Lind. „Ennius in sexto Annalium: Quintus in occulto mussabat, et .... in Andromacha: dic iam mater non est" lacunam Attii nomine explerunt, cuius ne minimum quidem vestigium in antiquis libris invenitur. Nihilo tamen secus Bothius Poett. scenn. Latt. V, p. 250. ab Attio dicit Andromacham esse scriptam et inter incerta Attii fragmenta illud affert „iam hanc urbem ferro vastam fa-

ciet Peleus," in annotatione addens: ex Andromacha; cf. Euripidis fabulam 758. sqq. Verum enim vero cum apud Festum s. v. vastam p. 277. Lind. exstet „Accius: iam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus, et Pacuvius: quales scabres quod inculta vastitudine," Paulus autem p. 160. Lind. verbum „Peleus" omiserit, non dubium esse videtur, quin vox „Peleus" orta sit ex nomine Teucri, de cuius suspicionis veritate ambigi non licet, si cognoveris verba Pacuvii illa ex Teucro deprompta esse, id quod probatur quattuor Nonii locis (s. v. vastities p. 185. poenitudinem p. 152., scapres p. 169., alumnum p. 243.) Festum enim coniicio scripsisse „Teucro Pacuvius" indeque natam esse depravationem scripturae „Peleus Pacuvius." Contra Duentzerus in Zimmermanni Diario a. 1838, p. 54 verba illa Pacuvii Telepho adscripsit, errorem in se committens, cum Pacuvius eius nominis fabulam non ediderit. Quidquid vero est, hoc certe fragmento Andromacha fabula huic poetae non vindicatur, neque Osannus Anal. crit. p. 148. in medio relinquere debuit, Cicero (Acadd. 2, 7.) utrum Ennii an Attii Andromacham in scena agi viderit. Bothius, qui in Mus. Rh. V, p. 253. iterum Andromacham inter Attianas fabulas nominavit, in sententia sua perseverare videtur.

Nonius s. v. immane p. 323. M. ex Attii Automedia hoc fragmentum affert: immanitate habet templum, obvallatum ossibus. Inauditum Automediae nomen aut librariis debetur aut Nonii stupori; inveniri illud in Mss. Mercerus, Scriverius, Vossius, Bothius testantur. Quare non solum Mercerus, sed etiam Gerlachius et Rothius, recentissimi Nonii editores, scribendum curarunt: Accius Automedia. Attamen iam priscae editiones, Aldina et Mediolanensis, pro „Automedia" praebent „Andromeda", cuius nominis fabulam ab Attio esse compositam, multi eiusdem

Nonii loci demonstrant. Recte igitur fragmentum illud ad Attii Andromedam retulerunt Scriverius et Vossius, quibus Bothius l. l. p. 172. obtemperandum iudicat, nisi potius scribendum sit „Antro medio“, quam opinionem ipse reiecit in Mus. Rhen. V. p. 255, ubi haec protulit „quod attinet ad nomen huius fabulae, etiamnum id depravatum esse puto, nec satis fuerit scribere Automede, quamvis ἀναλογικῶς, sed ponendum videtur Automate seu potius Automatia propter similitudinem Automediae, ut intelligatur Automate, uxor Busiridis, et templum illud Iovis, cui peregrinos immolabat Busiris recentior, quem eundem Aegypti filio cognomine putaverit Attius; vid. Apollodor 2, 1, 5, Wessel. ad Diod. Sic. 78. 60. etc. Busiridem docuit Euripides, cuius tragoediae fragmentum breve superest apud Stobaeum tit. 62.“ Eiusmodi autem coniecturis nihil proficimus; equidem persto in antiquissimarum editionum scriptura et fragmentum illud ad Attii Andromedam pertinere arbitror. Verba spectare videntur ad pugnam Persei, cetam deprecantis: immane te habeat templum, obvallatum ossibus, cui interpretationi non refragatur vox templum; cfr. Columna in Ennii fragm. p. 35. et 239. Hess.

Novam disputandi materiem praebet Persii locus multum tentatus. In satira prima aequalium hominum studia carpens, a. V. 68. Persius in caecos veterum poetarum admiratores invehitur. Conceptam autem inde indignationem nollem effudisset in eos, qui Pacuvii Attiique, praestantissimorum poetarum, amore tenerentur. Nam iniusta sane protulit, quod haec scribit v. 76.:

Est nunc, Brisaei quem venosus liber Atti,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Antiqui libri Brysaei, Brisaei, Brusei, Brysei scripturas praebent. Neque tamen placuit viris doctis Attium

nominari Brysaeum vel Bacchicum; plerique probarunt L. Scoppae coniecturam (Collect. 1, 34. in Grut. Lamp. 1, 945.), pro Brisaei vel Brisei emendantis Briseis. Casaubonus in hunc locum „pro Brisei, ait, lege Briseis, notissimum feminae nomen ex Homero et aliis poetis; eius casus tragoediae convenire nemo potest negare. Briseis igitur liber venosus et Antiopa verrucosa duarum tragoediarum nomina sunt, quarum hanc Pacuvius composuerat, illam Accius.“ Primus Reizius scripturam „Briseis“ in textum, quem dicunt, verborum recepit; hunc plerique editores secuti sunt, etiam Passovius. Quibus quod Plumius aliique obiecerunt inter tot Attii fabulas nullam huius nominis tragoediam inveniri, id non eam habet vim, ut illorum sententiam evertat. Potuit enim Persius Achillem, Attii fabulam, Briseidos, secundae personae, nomine laudare, cum una eademque fabula ut apud Graecos, ita apud Latinos saepius duobus pluribusve nominibus inscribatur, partim a principe, partim a secunda persona, partim a choro desumptis *). Verum enim vero quominus viris illis adstipuler cum omnium Codd. consensus, tum verba „venosus liber“ me impediunt. Singularem enim fabulam quis unquam appellavit librum? Sicuti autem Romani opus poeticum, quod in uno eodemque argumento versaretur, cuius singulae partes quasi uno quodam filo essent deductae, una voce „carmen“ appellare solebant (vid. Iani et Mitsch. in Hor. Od. 1, 7, 6.), ita „libri“ nomine significabant varia carmina in unum collecta, veluti Catullus I. 1. suorum poematium collectionem nominavit libellum, et Horatius in ultima primi

*) Hanc rem pluribus iam illustrarunt Boeckhius Graec. trag. princ. p. 299., Welckerus Aeschyl. Tril. p. 340. et 483., in Ind. s. v. Sophocles, et in Mus. Rh. Suppl. II. Pars I. p. 69. sqq., Scaliger in Var. II, p. 214 Bip., Mercerus in Non. p. 162., Gronovius in Gell. 12, 20., Bothius l. l. p. 13. et 91., Grauertus in Mus. Rhen. 1828, p. 62.

libri epistola, etsi non omnes, at certe plures epistolas dixit librum, aut si, quod alii malunt, epistola illa epodon libri epilogus est, multa poematia hoc nomine insignivit; plura eius usus exempla inveniuntur apud Martialem; cf. Epist. libr. I. et II. praefixas, et tertii libri epigr. 1, 2, 4, 5. Non igitur recte scripsit Passovius p. 299 „noch müssen wir auch gedenken, daß liber hier nur, wie es jetzt wirklich thut, als Apposition zu etwas näher bezeichnetem stehen konnte, da Attius seinen Dichterruhm nicht einem einzelnen Werke verdankte und seine Trauerspiele in dem einen Worte zusammenzufassen, gegen den Sprachgebrauch ist.“ Nam cum Horatius, ut ceteros praetermittam, plura carmina, neque de eodem argumento neque ad eosdem homines conscripta, nominavit librum, cur Attii fabulas, neque de eodem argumento neque eodem tempore compositas, Persius librum appellare non potuerit, non perspicio, nisi cum operis ambitu etiam nomen mutandum fuisse arbitrere. Vellem igitur exemplis comprobasset vir doctissimus unam tragoediam dici „librum.“ Accedit quod Brisaei verbum optime convenit voci „venosus“; venosa enim fabula, quia Attius Brisaeus; cf. Nieberdingius Ilias Homeri ab L. Attio in dramata conversa (program. gymnas. Conitz. 1838.) p. 5. Venosus Attius dicitur tanquam sanguinis viriumque plenus, ita ut Persius de Attio idem fere protulerit quod Ovidius, qui Amor. 1, 15. eum praedicat poetam „animosi oris“ et Trist. 2, 395. apellat „atrocem“, quocum compares Vellei. Paterc. 2, 9. „ut in illis (scil. in Afranio et Pacuvio) limae, in hoc (scil. Attio) paene plus videatur fuisse sanguinis.“ Utut est, non solum contra Codd. fidem pugnat, sed etiam iusto audacius est ex uno Persii loco Attio vindicare Briseidem tragoediam. Neque eorum, qui tragicorum Romanorum fragmenta collegerunt, quisquam est, qui eius nominis fabulam inter

Attianas recenseat; nam quod Welckerus olim in Aeschyl. Tril. p. 5. Attio adscripsit Briseidem et ibid. p. 601. (in corrig.) poetam tragicum confudit cum Attio Labeone (cfr. Schol. et interpp. in Pers. Sat. 1, 50.; Wernsd. Poet. min. IV, 577. sqq.), iam ipse videtur respuere, cum libro de tragoediis Graec. (Mus. Rh. Supplem. II.) et p. 1384 sqq. inter Attii fabulas Briseidos nomen omittat et p. 1394. cognomen Brysaei erudite explicet.

Errore item Attio adcenseri Dulorestem tragoediam iam inde apparet, quod Nonius, qui eam unus commemorat, eadem quae ex Pacuvii Duloreste verba affert, altero loco Attii cognomini fabulae dedit. Quam ob rem iam Burm. in Ovid. Trist. 2, 393. et Kordesius l. l. p. 35. hanc Attii fabulam in dubitationem vocarunt. Mihi reputanti altissimum apud veteres de Attii Duloreste silentium haec videtur soli librariorum culpae deberi. Id planum erit, si utrumque Nonii locum adscripsero. In vulgatis enim huius grammatici libris s. v. fatiscere p. 307. M. haec leguntur „fatiscere est aperire (? fortasse legendum: perire), rursum deficere. Accius Epinausimache: tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. Pacuvius Duloreste: ut si ita sunt promerita vestra, aequiparare ut queam, vereor, nisi nunquam fatiscar facere, quod quibo, boni.“ Altero loco s. v. fatiscuntur p. 479. M. haec exstant „Accius Epinausimache: tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem. Varro Antiq. hum. libr. XIV.: altera ita et altera vulneribus fatiscuntur. Accius Duloreste: vereor, si unquam fatiscar facere, quod quibo, boni.“ Neque enim dubito, quin ad passivum fatiscendi verbi usum probandum a Nonio solus Varronis locus adscriptus sit, librarii autem, cum meminissent, eiusdem verbi iam supra allata esse exempla, ea posteriore loco in margine apposuerint. Quae cum alii initio, alii in

fine adiungerent, Nonii locus facile ita corrumpi poterat, ut alterum fragmentum ex Attii Duloreste depromptum putaretur. Quae cum ita sint, et praeter Pacuvium nemo Romanorum Dulorestem tragoediam composuerit, huius poetae nomen etiam in altero Nonii loco pro Attio restituendum iudicamus; cfr. Scriverii Collect. tragic. Rom. p. 114., Bothius l. l. p. 122.

Iam vero si haud magna industria ad refutandos Nonii sive librariorum eius errores opus erat, nunc contra doctissimum huius aetatis virum nobis disputandum est. Electram enim fabulam, quam primus Casaubonus in Suet. Caes. 84. Attii esse contendit, nuper etiam Weichertus huic poetae vindicare studuit. Cum vero Casaubonus coniecturae rationes nullas addiderit, cum solo mihi Weicherto res est. Is in comment. de C. Licino Calvo (Poett. Latt. reliqq. p. 139 — 43.) incidit in Ciceronis locum de Fin. I, 2. ubi hic „Synephebos ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? A quibus tantum dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem. De quo Licinius:

Ferreum scriptorem, verum opinor scriptorem tamen
Ut legendus sit.“

Eo loco recte intellexit Porcium Licinium vel potius Licinum *), cuius in verbis iam Vossius de Poet.

*) Porcii Licinii nomen, etsi libri constanter sic scriptum praebent, corruptum tamen est; nemo enim Romanorum duobus nominibus gentiliciis dicebatur. Iam Gronovius in Gell. 17, 21. hoc in nomine offensus est, et interpp. ad Liv. 39, 32. docuerunt non Licinium sed Licinum huius viri nomen fuisse, approbatum Ernesto in Clav. Cic. s. v. et Orellio Onom. Tull. II, p. 493.; cf. Lindemannus in Charis. I, §. 98, p. 74. Corp. grammat. Lat. V. Huius intermortuam fere memoriam post Vossium de Poett. Latt. 1, 7. denuo excitavit Weichertus l. l. p. 138. Pauca, quae supersunt, fragmenta ostendunt ab Licino librum compositum esse versibus trochaicis tetram. catal.; in hoc eum de poesi Romana egisse duo versus testantur, quos Gellius 17, 21. servavit; in eodem singulos poetas, iudicio suo interposito, per-

Lat. 1. Cap. 7. numeros agnovit (cfr. Davisius in l. l. et Bergmanni Comment. de litt. conditione apud Rom. p. 20.), de quibus tamen dubitavit Madvigius

---

secutum esse ex Ciceronis loco, quem supra attulimus, perspicitur. Praeter illa duo fragmenta Weichertus commemoravit Porcii epigramma, quod legitur apud Gellium 19, 9. Iis addendi sunt ex Suet. vit. Terent. Cap. 1. duodecim versus, quos conscripsit de Terentii vita, etiam ipsi trochaicis numeris. De Ennio Licinum egisse testis est Varro L. L. p. 45. Bip., p. 64. M. Praeterea Varro. 7, 104, p. 160. M. et Charisius p. 103. P. eius auctoritate utuntur ad verborum significationem constituendam. Haec fragmenta ad unum eundemque Porcium Licinum sunt referenda, is vero utique distinguendus est a C. Licinio Calvo, oratore illo claro et poeta, et a C. Licinio Imbrice, poeta comico. — De tempore, quo Porcius vixerit, cum veteres scriptores sileant, alii aliter judicant; sic eum Weichertus nescio quibus rationibus ductus „iuniorem Terentii aequalem" fuisse suspicatur, Madvigius autem in comment. de L. Attii Didascalicis (Opp. acadd. I, p. 107.) tum, quod Gellius eum praeponat Q. Lutatio Catulo, cons. a. 652. U., Catulo majorem fuisse colligit, tum quod Licinus de Terentio scripserit (Suet. vit. Terent. Cap. 1):

nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nihil Furius:
Tres per idem tempus, qui agitabant, nobiles facillime

aliquanto post Terentium scripsisse putat; Orellius vero (Onom. Tull. II. p. 493.) eum circiter a. 640. U. floruisse affirmat, Baehrius denique Hist. litt. Rom. p. 321. Ed. sec. eundem esse contendit ac Porcium Licinium, consulem a. 570. U. Ad Licini autem aetatem accuratius definiendam prae ceteris valet Gellii locus 19, 9, quo de erotica poesi disserit; ibi enim postquam Lutatium Catulum, Calvum, Laevium, Hortensium, Cinnam, Memmium paucis percensuit, haec scribit „sed ne nos, id est, nomen Latinum, tanquam profecto vascos quosdam et insubidos ἀναφροδισίας condemnetis; permittite mihi, quaeso, operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse aiunt, et audite ac discite nostros quoque antiquiores ante eos, quos nominastis, poetas amasios ac Venerios fuisse. Tum resupinus, capite convelato, voce admodum quam suavi cecinit versus Valerii Aeditui, veteris poetae, item Porcii Licinii et Quinti Catuli." Namque ex his Gellii verbis apparet Licinum vixisse ante Catulum, Calvum, Hortensium, ceterosque, quos supra nominavimus, poetas. Horum ut reliquos omittam, Hortensius, qui idem clarus erat orator, undeviginti annos natus L. Crasso Q. Scaevola Css. sive a. U. 659., ut Cicero Brut. 64. auctor est, primum in foro dixit; natus igitur est a. 640. U. Colligitur inde Licinum, ut Hortensio maiorem, ita ipsius Attii fuisse aequalem. Accedit, quod Catulus, consul. a. 652. U., si legitimo, ut videtur, anno ad consulatum pervenit, natus est a. 609; natus igitur est Licinus ante a. U. 609. Licinum vero Terentio mortuo.

in Cic. l. Attamen Attilium, quem propter hunc Ciceronis locum inter tragicos poetas recensuerunt cum alii tum Bernhardyus Hist. litt. Rom. p. 181., Baehrius Hist. litt. Rom. p. 87., Langeus Vind. trag. Rom. p. 7., Bothius l. l. p. 254., statuit Weichertus Sophoclis Electram non tragice sed comice tractasse. Eam in opinionem se adductum esse dicit propter Ciceroniani loci ἀσυστασίαν; nullam enim se videre rationem idoneam, qua ductus Cicero tragoediam Latine redditam composuerit cum comoediis ex Menandro conversis, et prorsus desiderari illam scribendi artem et curam, quam eodem in argumento observaverit de opt. gen. orat. Cap. 6. „iidem Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt, nec Andromacham aut Antiopam aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium et Attium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt.“ Iam vero licet concedamus, hoc loco comicos comicis, tragicos tragicis utriusque populi poetis diligenter opponi (namque Menandri Andriam Terentius, Synephebos Caecilius imitatus est, ex Euripide autem Ennius Andromacham, Pacuvius Antiopam, ex Sophocle vero Attius Epigonos in Latinum convertit): non tamen sequitur, ut alter locus Ciceroni eadem fuerit cura arteque conscribendus. Atque tantum abest, ut Ciceronis locum de Fin. 1, 2. negligenter scriptum iudicemus, ut Ciceronem, quod dicturus fuerit, optime dixisse arbitremur. Is enim quo magis eos pungat, qui Graece, non vero Latine scrip-

---

h. e. a. 595. (vid. supra p. 8.) superstitem fuisse inde apparet, quod huius obitum commemoravit (vid. Suetonium l. l. Cap. 5.) — Librorum, quos hic conscripsit, et nomen et numerum ignoramus. Neque enim propterea, quod Licinus cum universe poesin Romanam, tum singulos poetas persecutus est, Weichertus et Orellius debebant asseverare eius librum „de poetis“ inscriptum fuisse, quo indice sane erat is liber, quem eodem fere tempore confecit Vulcatius Sedigitus, de quo videsis Madvigium l. l. p. 107., Weichertum l. l. p. 140., Osannum Anal. crit. p. 3.

tis se delectari affirmant, ab his se tantopere dissentire dicit, ut non solum, qui Caecilii Terentiique praeclaras fabulas minoris faciant, quam Menandri cognomines comoedias, inimicos paene Romani nominis habeat, sed etiam Attilii Electram, ex laudatissima Sophoclis fabula male licet conversam, tamen, quia Latina sit, Sophocleae praeferat. Eam sententiam noli mirari a Cicerone esse latam, qui nimio patriarum litterarum amore captus Romanos in poesi vel Graecis anteponendos esse iudicavit; cfr. Tusc. 1, 1, de Orat. 3, 7. Weichertus autem Ciceronis in eiusmodi rebus artem curamque praedicans, sibi ipse contradicit, quod tam diligentem atque elegantem scriptorem dicturum fuisse arbitratur, Attilium convertisse ex Sophocle Electram, si illius fabula non tragoedia, sed comoedia fuisset. Cum igitur Attilii Electram tragoediam fuisse certum sit, optime se habet Attilii nomen etiam in Sueton. vit. Caes. Cap. 84. „inter ludos cantata sunt quaedam ad misericordiam et invidiam caedis eius (h. e. Caesaris) accommodata ex Pacuvii Armorum iudicio:

Men' servasse, ut essent, qui me perderent?

et ex Electra Attilii ad similem sententiam;" aptum ex Sophoclis Electra locum iam indicavit Langeus. Vind. trag. Rom. p. 41. Not. 54. Eo Suetonii loco plerique iique optimi Codd. „Attilii" nomen, nonnulli peioris notae „Accii" vel „Attii" scripturam praebent. Ibi vero cum de comoedia nullo modo possit cogitari, Weichertus unam veram esse contendit Casauboni coniecturam, pro „Attilii" scribentis „Attii". Eam autem iure damnarunt tum viri, quos supra nominavimus, tum Reinesius Varr. Lectt. 3, 3, p. 379., Vossius de Poett. Latt. Cap. I., p. 232. Opp. Vol, III., Burmannus, Graevius, Wolfius. Neque praeter Casaubonum et Weichertum quisquam Electram fabulam adscripsit Attio, cuius nomen in Suetonii loco

ferri omnino nequit; cfr. Bothius l. l. p. 255., Welckerus l. l. p. 1386. et p. 1400. Not. 12. Primum enim ut Attii Electra nullo loco apud veteres commemoratur, ita Attilium huius nominis fabulam scripsisse ex Cicerone constat. Deinde quod Weichertus credibile esse negat, post laudatissimam Pacuvii tragoediam Attilii, ferrei et durissimi scriptoris, fabulam male ex Sophocle conversam illo tempore Romae editam esse, nihil omnino efficit, cum in Caesaris funere non tota tragoedia acta sit, sed eius versus tantum quidam, accommodati, ut Suetonius dicit, ad misericordiam et invidiam caedis, cantati sint. Quapropter reddendam esse iudicamus Electram Attilio, poetae tragico et comico. *)

---

*) De Attilio tenuis tantum ad nos pervenit memoria. Nemo enim veterum scriptorum commemoravit, quo is anno natus, quo mortuus sit, nec de eius patria aut aliis vitae rebus quidquam traditum est. Cum vero mentionem eius iniecerint Porcius Licinus et Vulcatius Sedigitus (vide p. 24. Not *), eum circiter Attii aetatem floruisse coniicere licet, cui suspicioni haud parvam probabilitatem addunt ea, quae supra p. 5. Not. hac de re protulimus. Notandus autem est error cum eorum virorum, quos supra nominavimus, tum Criniti de poet. Latt. Cap. XIV., Orellii Onom. Tull. II. p. 86. Welckeri l. l. p. 1400., qui Attilio dederunt Marci praenomen, cuius nullum apud veteres invenitur vestigium. Is error fortasse manavit ex Gellii loco 3, 3. „nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti nec Bis compressa, nec Boeotia unquam fuit, neque adeo Ἄγροικος, neque Commorientes, sed M. Aquilii;“ ita haec verba ex virorum doctorum, imprimis Gronovii coniectura scribuntur; nam in Codd. M. Hatrutici vel M. Accii Titi nomen exstat. Aquilii autem nomen minime Varronis loco de L. L. p. 75. Bip., VI. p. 110. M. munitur; ibi enim vulgo quidem haec leguntur „accensum solitum ciere, Boeotia ostendit, quam comoediam Aquilii esse dicunt, hoc versu,“ in Codd. autem pro vulgata „Aquilii“ scriptura legitur „alii,“ sub qua corrupta voce Augustinus nomen M. Attii, h. e. Plauti, Scaliger Aelii, h. e. L. Aelii Stilonis latere opinati sunt; Popma vero in Varr. II, p. 155. Bip. M. Attilii nomen voluit restitui, probatum Osanno Anal. crit. p. 153. At Plauti nomen ferri nequit. Praeterquam enim quod Varro poetam comicum non M. Attium, sed Plautum nominare solet, Boeotiam fabulam ab Varrone tributam esse Plauto Gellii testimonio constat, qui l. l. haec scripsit „easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit, sicuti istam, quam nuperrime legebamus, cui est nomen Boeotia. Nam cum in illis una et

Haud parvam dubitationem habet etiam Iliona fabula, et habere etiam visa est Welckero l. l. p. 1153, 1156, 1386, cui Stephanus, Scriverius, Vossius, Bothius, Duentzerus in Zimmermanni Diario a. 1838., p. 60. inter Attii reliquias locum dederunt.

viginti non sit, et esse Aquilii dicatur, nihil tamen Varro dubitavit, quin Plauti foret." Scaligeri coniectura idcirco improbanda est, quod nullus fuit apud Romanos poeta comicus, cui Aelii nomen esset. Probabilior videtur scriptura „Attilii," quae Weicherto quoque placet. Nam non solum Attilii et Attii (h. e. Plauti) nomina facile confundi, et Attii scriptura in „alii" depravari poterat, sed etiam Attilium novimus poetam comicum. Equidem vero, cum Attilii Boeotiam veterum nemo excitet, neque librorum auctoritate iustum auctoris nomen constitui possit, certi quid statuam nihil habeo; cfr. Bothius l. l. fragmm. comicc. p. 37. Osannus l. l. p. 156. et 183. ex ipsis Boeotiae fragmentis comprobare studuit fabulam aut posteriore tempore alienis manibus vitiatam esse, aut a Varrone perperam Plauto vindicari. Welckerus l. l. p. 1400. Not. 12. Aquilii nomen retinendum esse iudicat. God. Hermannus in Dissert. de L. Attii Didascalicis Lips. 1842. scripsit „M. Titi," quem comicum poetam vult esse alioquin, ut credidit, ignotum; sed eundem M. Hertzius in Annal. Berol. 1842. p. 359. significari putat tum a Frontone II. 1. „Ennio aut Titio poetae," tum ab Ioh. Lydo de magistr. 1, 40. „Τίνιος ὁ Ῥωμαῖος κωμικός," ubi tamen Λίβιος scribendum esse coniecerunt Osannus l. l. p. 44. et Reuvensius Collect. litt. p. 20 sqq.; Fussius autem Τιτίνιος legi maluit; cfr. Langei Vind. trag. Rom. p. 51. — Attilii libros omnes temporis iniquitas delevit. Eius ex tragoediis solum Electram novimus, cuius ne unum quidem verbum superest. Idem poeta multo maiorem laudem assecutus videtur comoediis scribendis, qui quidem a Vulcatio Sedigito in Romanorum comicorum censura apud Gellium 15, 24. quinto nominatur loco post Caecilium Statium, Plautum, Naevium, Licinium Imbricem. Attilii Μισογύνην commemorat Cic. Tusc. 4, 11., quae comoedia sine dubio ex Menandro conversa est. Cfr. Davisius in Cic. l. et Meineckius Menandri Reliqq. p. 115. Versus, quem Cic. ad. Att. 14, 20. servavit, ex comoedia quadam depromptus est; ad soccum item referenda sunt, quae exstant apud Varronem L. L. 7, 90. et 106. M. In Cic. Tusc. 5, 22. Aquinii nomen, pro quo unus Cod. Eliens. Attilii praebet, retinendum est. cfr. Moserus in l. l., Weichertus l. l. p. 141., Not. 33. Attilium licet Cic. ad Att. l. l. vocarit poetam durissimum, et de Fin. l. l. probarit Licini iudicium, eundem nuncupantis ferreum scriptorem, Varro tamen apud Charisium II, p. 215. P. Trabeam scripsit et Attilium et Caecilium facile movisse πάθη; cfr. Reuvensii Collect. litt. p. 130. Vehementer improbanda est Orellii suspicio, qui in Hor. Od. 1, 36, 14. sub Bassi nomine hunc Attilium latere opinatus est.; cfr. Weichertus de L. Vario Excurs. II, p. 143.

Attii enim Ilionam solus Nonius commemorat duobus locis, s. v. sonunt p. 505. et rimari p. 302. M. Nonius autem, quem Weichertus. l. l. p. 193. recte totum a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem ulcus esse dicit, quoniam negligentissimus est in poetarum nominibus et Pacuvium commutavit saepius cum Attio: poterat eodem errore, quo Attio adscripsit Dulorestem tragoediam, Pacuvianae fabulae duo fragmenta Attio tribuere. Certum vero hac de re iudicium ferre non ausim propter librorum in Attii nomine consensum. Scriverius Collect. tragg. Rom. p, 112. ad alterum Ilionae fragmentum annotavit „hoc Iunii margo Pacuvio adscribit, mei Codd. non variant." Erravit autem Heyneus Excurs. 24. ad Virg. Aen. I., quod versus, qui in Cic. Acadd. 2, 27. exstant, ad Attii Ilionam refert, quae opinio nullo prorsus argumento nititur; eosdem versus alii Pacuvio, alii Ennio adiudicant; verum cum horum poetarum hic Ilionam non ediderit, ut docuit Duentzerus l. l. p. 57., Pacuvii autem fabula saepissime, addita magnae laudis significatione, nominetur, probabilius aliquanto est ad hunc Attii aequalem eos referendos esse versus.

Tantum de Iliona. Quod vero in Macrob. Saturn. VI, 5. vulgo ita legitur „Accius in Philoctete. Idem in Minotauro: taurigeno semine ortum an humano?" etiam Minotaurus in Attii fabulis nominabatur. Cum vero nemo unquam de Minotauro fabulam scenicam composuerit, locum illum corruptum esse statim intelligimus; cumque Priscianus VI. p. 677. P. eadem illa verba tanquam ex Attii Ione deprompta commemoret, Minotauri nomen apparet librario deberi, qui illud conglutinavit ex Ione et sequentis vocis „taurigeno" initio. Bothius l. l. p. 200. scriptum esse a Macrobio putat „idem in Io taura vel in Ione taura," Scriverius l. l. p. 127. legi maluit „idem de Minotauro," cui assentire videtur Vossius Castigg. p.

160. „mihi nihil mutandum videtur quum propter Codd. consensum, tum quia ἀντίθεσις ista taurini et humani sanguinis locum habere potuit, sive de Ione in vaccam conversa iuxta Priscianum, sive de Minotauro ageretur iuxta Macrobium.“ Equidem Macrobii locum ita emendandum arbitror, ut scribatur „idem in Ione: taurigeno,“ et huic fabulae hoc fragmentum addendum.

Quod supra in Nonio vituperavimus, apud eum cum aliorum poetarum tum Pacuvii Attiique nomina saepius confundi, id maxime probatur loco, qui legitur s. v. specus p. 223. M., ubi omnes libri sic scriptum exhibent „Accius Niptris: inde advenio montem Oetam, scruposam specum.“ Eius autem nominis fabulam ab Attio esse compositam cum veterum nemo tradat, a Pacuvio vero hoc argumentum tractatum esse multa veterum testimonia declarent: eo minus dubitaveris a Nonio vel ab eius librariis peccatum hic esse, cum Priscianus II, p. 713. P. ipsa illa verba „advenio in scruposam specum“ ex Pacuvii Niptris afferat, quo loco omnes libri Pacuvii nomen praebent; vid. Krehlium I, p. 269.

Sola Iunii coniectura factum est, ut inter Attii fabulas numeretur Paris tragoedia. Nonius enim s. v. frenos p. 206. M. habet „Accius: pari frena tesauri equorum accomodant;“ sic locus legitur in novissima Nonii editione, quae est a Gerlachio et Rothio curata. Mercerus, libros, ut dicit, secutus scripsit „Accius Pari: frenates auri equorum accommodant.“ In optimis autem Codd., in Leidensi et Guelferbytano, invenitur, testibus Gerlachio et Rothio „pari frena“ et in Aldina ipsi repperimus „impari frena.“ Iunius in Mss. esse affirmat „Attius Pari: Frenates“ ipse autem scribendum esse coniecit „Attius Paride,“ ita ut Paris pro Attianae fabulae nomine habeatur. Vossius, ad Aldinae scripturam respiciens, maluit „Attius in Parer“ h. e. in Parergis, quae esse ab Attio scripta

Nonius testis est s. v. porca p. 61. M; cfr. Madvigii Opp. acadd. I., p. 109 sqq. At neque quisquam fabulam edidit, quae esset Paridis nomine inscripta, neque verisimile est verba „in Parergis," quae Nonius l. l. sic excitat „Attius in Parergorum libr. I.," in „pari" corruptum esse. Itaque acquiescendum iudicamus in Merceri emendatione, qui in Non. p. 708. scribendum coniecit „Attius: Pars frena," probatum Scriverio, Bothio l. l. p. 228., Duentzero in Zimmermanni Diario a. 1838, p. 56.

Multo maioris audaciae coarguendi sunt Bothius et Muellerus, quod Attio vindicarunt Phaethontem fabulam, unius Varronis loco (de L. L. VII, 14. M.) innixi, ubi haec leguntur. „Quod est apud Accium:

Pervade polum, splendida mundi
Sidera binis continuis sex
Addita signis:

polus Graecum; id significat circum coeli; quare quod est: pervade polum, valet: vade περὶ πόλον." Ea verba Bothius l. l. p. 269. inter incerta Attii fragmenta refert, hac addita annotatione „nec recte sex signa dicens (erat enim ante Bothium „bigis" pro „binis"), quae sunt duodecim; nam agitur Zodiacus videnturque haec prolata ex Phaethonte" His Muellerus in errorem adductus videtur, cum ad Varronis locum scribat „sed sidera, quae Soli vel Phaethonti permeunda erant, Zodiaci signis apta sunt" et in Indice illa verba ex Attii Phaethonte deprompta esse affirmet. Licet enim verba illa ad Phaethontem possint referri, audacius tamen iusto est propter hunc unum locum Attii fabulis adnumerare Phaethontem, cuius numquam apud Romanos scriptores fit mentio; accedit quod nemo Romanorum, quantum scimus, hoc argumentum in tragoediis persecutus est; cfr. Welckerus l. l. p. 1386.

Restat, ut exponamus, quibus de caussis Attio Trachiniarum fabulam derogandam esse iudicemus.

Iam enim Stephanus in Collect. vett. poett. Latt. Attianis reliquiis non addidit longum illud fragmentum, quod ex Sophoclis Trachiniis versum in Cicer. Tuscul. II, 8, 20. exstat, praeclaros illos versus sine dubio idcirco omittens, quod eos Ciceronis esse perspexit. Nihilo tamen secus Scriverius, Vossius, Bothius eos Attio dederunt, id quod nunquam fecissent, si ipsum Ciceronem paullo attentius inspexissent. Is enim in Tusculanarum libro secundo, qui est de dolore, a Cap. VI. versatur in diiudicandis variis philosophorum sententiis, quae hac de re essent latae, easque, ut solet, illustrat poetarum versibus. Ibi igitur postquam de Philocteta eiulante locutus est, Cap. VIII. ita pergit „Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

O multa dictu gravia, perpessu aspera,
Quae corpore exanclata atque animo pertuli! et quae seq.; cfr. Bothius l. c. p. 246.

Cap. X. Veniat Aeschylus non poeta solum, sed etiam Pythagoreus; sic enim accepimus. Quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium,

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus; eum dictus Prometheus
Clepsisse dolo, poenasque Iovi
Fato expendisse supremo.

Has igitur poenas pendens, affixus ad Caucasum, dicit haec:

Titanum suboles, socia nostri sanguinis
Generata Coelo, adspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, et quae seq.; cfr. Bothius l. c. p. 239.

Cap. XI. Vix igitur posse videmur ita affectum non miserum dicere; et si hunc miserum, certe dolorem ma-

lum. A. Tu quidem adhuc meam causam agis. Sed hoc mox videro. Interea unde isti versus? non enim agnosco. M. Dicam hercle; etenim recte inquiris. Videsne abundare me otio? A. Quid tum? M. Fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, iu scholis philosophorum. A. Vero, ac libenter quidem. M. Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verumtamen versus ab iis admisceri orationi. A. Ac multos quidem a Dionysio Stoico. M. Probe dicis. Sed is quasi dictata, nullo dilectu, nulla elegantia. Philo noster et proprium numerum et lecta poemata et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis; sed sicubi illi defecerunt, verti multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio.“ Haec Cicero; hinc manifesto apparet versus illos non Attii poetae esse, sed ab ipso Cicerone Latine redditos. Atque tota iam res ad liquidum perducta esset, nisi Scaliger in Varr. L. L. II, p. 230. Bip. hunc in modum disseruisset „Trachiniae versae sunt ab Attio. Ex quibus Cicero II. Tuscul. Herculis iam propemodum depositi exclamationes illas ad verbum ex Sophocle versas adducit. Neque tamen Attii nomen posuit, ut in àlteris versibus, quos mox adscribit, non laudat auctorem Attium in Prometheo, qui illos versus scripsit, sed Aeschylum, ex quo illi translati sunt, cum tamen esse ex Prometheo Attii aliquot Nonii et Prisciani indiciis cognoscamus, qui illa, quae exstant apud Ciceronem, nominatim ex Prometheo Attii citant. Utrasque ergo versiones unius Attii esse, hinc manifeste apparet.“ Verum enim vero cum Cicero planissime asseveret versus illos „Titanum suboles“ et q. seq. ex Aeschyli Prometheo se in patrium sermonem transtulisse, non debebant utique, scilicet quod Attii quoque Prometheum fuisse testes sunt Nonius s. v. gelu, p. 208. M. et Priscianus VI. p. 685. P. (cfr. Mercerus in

Non. p. 647.), atque inter eos versus, quos Cicero a se versos esse dicat, unum hunc „sublime ádvolans Pinnáta cauda nóstrum adulat sánguinem" Nonius s. v. adulatio p. 17. M. ex Attii Prometheo excitat, totum illud fragmentum a Cicerone ex Attii fabula depromptum nuncupare, id quod fecerunt Scriverius, Bothius, Langeus Vind. trag. Rom. p. 18. Not. 22., Schlegelius de art. dramat. II. p. 17., Stanleius Comment. in Catal. Aeschyl. dramat. in Aeschyl. Opp. edid. Schuetzius Vol. V. p. 10., secuti illi Scaligeri singularem sane ratiocinationem. Nam quod inter ea, quae Cicero se ipsum vertisse contendit, unus est versus, quem Nonius Attii esse affirmat, cum credibile non sit Ciceronem mentitum esse Attiumque debita laude fraudasse, aut ex Nonii ipsius aut ex librarionum eius errore explicandum videtur, qui Ciceronianum versum Attio male adscripserunt. Minus mihi placet, quod Schuetzius Aeschyl. Opp. Vol. V. p. 128. hac de re iudicavit „in quo vel memoria lapsum hunc Grammaticum credibile fuerit, vel dicendum Ciceronem aliquot versiculos, quum reliquos ipse Latine verterit, ex Attii versione memoria forte retentos reliquis admiscuisse" Ceterum non est quod negemus, et Ciceronem quaedam ex Aeschyli Prometheo transtulisse et Attium eodem argumento ad tragoediam scribendam usum esse. Sed utcunque se res habet, mihi certum est et Ciceronem illa, quae attulit, ipsum ex Aeschyli fabula vertisse, et Attium eiusdem nominis fabulam composuisse, ex qua Nonius s. v. gelu p. 208. M. et Priscianus VI. p. 685. P. fragmentum servarunt. Attiana autem fabula praeter hoc unum fragmentum tota interiit. Nam illud, quod exstat apud Ciceronem l. l. „unde ignis cluet mortalibus" etc. Bothius falso ad hanc Attii fabulam retulit. Eius error inde ortus est, quod fragmentum ita scripsit (l. c. p. 240):

Eum doctu' Prometheus
Clepsisse dolo etc.

omissis verbis:

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus.

Ea enim si addidisset, sine dubio intellexisset totum illud fragmentum ad Attii Philoctetam Lemnium pertinere. Nam Varro L. L. VII. 11. p. 122. M. haec habet „apud Accium in Philocteta Lemnio:

Quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te apportes loca (cfr. Bothius l. l. Attii Philoct. fragm. 2.)

Ea enim loca quae sint, designat, cum dicit:

Lemnia praesto
Littora rara, et celsa Cabirum
Delubra tenes mysteriaque
Pristina castis concepta sacris (cf. Bothius l. l. fragm. 11., Hermanni Elem. D. M. p. 387., Langeus l. l. p. 17.)

deinde:

Volcania templa sub ipsis
Collibus, in quos delatus locos
Dicitur alto ab limine coeli (frgm. 11. apud Bothium)

et:

Nemus exspirante vapore vides
Unde ignis cluet mortalibus
Clam divisus etc.

Atque optime iam Scaliger in Varr. L. L. II. p. 161. Bip. haec, quae apud Varronem leguntur, cum iis, quae Cicero l. l. servavit ex Philocteta, in unum fragmentum composuit; quem iure secuti sunt Hermannus in Comment. de Aeschyl. Philoct. Opp. acadd. III. p. 120. et Welckerus in Mus. Rhen. V. p. 469. Varronis verba postrema vulgo sic constituuntur:

et Naevius: Exspirante vapore vides etc.

quamquam in omnibus bonis Codd. scriptum est „Nemus exspirante“ et duo tantum interpolati libri (cfr. Muelleri Praef. p. XXVIII. 1. et XXVI. 4.), Cod. B. et Cod. Lips., Nevii et Naevii scripturam exhibent. Quapropter Bothius l. l. p 94. fragm. 17. et Welckerus in Append. ad Aeschyl. Trilog. p. 37. Naevianis reliquiis illa non addere debebant; Wel kerus errorem suum agnovit in Mus. Rhen. Vol. V. p. 469. Namque Varro, loca dici tesca comprobaturus, fragmentis illis allatis, ita pergit „quare haec, quod tesca dixit, non erravit,“ ubi ex verbis „dixit, erravit“ intelligimus omnia illa, quae attulit Varro, unius Attii esse. Itaque cum Bothii, tum Duentzeri maxime miramur negligentiam, qui verba sic constituta:

Exspirante vapore vides
Unde ignes cluet immortalibus
Clam divisos doctus Prometheus etc.

Naevio iterum dederit in Zimmermanni Diario a.1838. p. 41.; cfr. Klussmannus Naevii Reliqq. p. 183. fragm. 2. — Pauca mihi dicenda sunt de quarto fragmento, quod Bothius ad Attii Prometheum pertinere censet. Verba enim, quae Cicer. Tuscul. 3. 31. ex Aeschyli Prometheo vincto (cfr. Stanleius l. l. p. 12.), auctoris nomine non addito, commemoravit, sine ulla ratione Attio adiudicavit Bothius; eodem sane iure Welckerus l. l. p. 1388. ea ipsi Ciceroni tribuit. Quae Welckerus ibi scripsit „die Worte bei Cic. de Off. II. 3. 13., die mit Prometheus V. 300. übereinstimmen, mögen dem Attius gehören. Lange p. 36 = 70“ ea sine dubio falsa sunt, cum neque verba, quae apud Ciceronem exstant, cum Aeschyleis comparari possint, neque Langeus quidquam dixerit.

Quamquam igitur in confesso est Attii fuisse Prometheum, Trachiniae tamen, ut revertamur, unde digressi sumus, ex Attianarum fabularum numero eximendae sunt. Nam verba illa, quae apud Ciceronem

l. l. leguntur, Attii non esse supra iam vidimus; alterum autem fragmentum, quod sibi repperisse visus est idem Scaliger, coniectura non admodum probabili ad hanc fabulam refertur. Etenim quod est apud Varronem L. L. VII. 88. M. p. 97. Bip. „quod enim fit rite, id ratum ac rectum est; ab eo Accius:

recte perfectis sacris
Volt accipi"

cum Scaliger in Varr. II. p. 234. Bip. plane Sophocl. Trach. v. 287 sqq. respondere arbitraretur, Attium ex Sophocle Trachinias vertisse statuit, eumque Bothius secutus est; neque vero Attii verba in his Sophocleis agnoveris:

αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν ἁγνὰ θύματα
ῥέξῃ πατρῴῳ Ζηνὶ τῆς ἁλώσεως,
φρόνει νιν ὡς ἥξοντα.

Haec si a nobis recte sunt disputata, certum est ab Attio non conscriptas esse Trachinias.

Sentententiae controversae.

I.

Atellanarum poetis Romanis addendum esse Lucilium quendam; huius enim esse Nummulariam, quae falso Livio Andronico tribuatur, et Fornicem Atellanas fabulas.

II.

Cypriam Iliadem a Naevio non esse conscriptam.

III.

Frustra Welckerum dubitasse de Naevii tragoediis.

IV.

In Hom. Odyss. *υ*. 286. scripturam *κραδίην Λαερτιάδην Ὀδυσῆα* damnandam esse.

V.

In Cic. Legg. I., 2, 7. unam veram esse Sigonii coniecturam, scribentis „nam quid Macrum numerem ?"

VI.

In Varr. L. L. V, 148, 150, VII, 39. M. neque C. Aelii Stilonis neque Cornelii Stilonis nomina se recte habere.


521


BIBLIOTECA





